

videtur, quia non multo post eum cum filio in Cretam 1440  
 relegatum reperio; verum sive ille deditiois auctor fuerit,  
 sive potius cives, plane constat, eam rem Lodovicum indi-  
 gne tulisse, Bagnacavallumque quod armis subegerat, Ni-  
 colao Æstensi ob id ipsum postea dedito. Et quia autumnus  
 ille continuis imbribus ferme actus fuerat, tam cito quam  
 raro alias, ob anni inclem tam miles in hyberna conce-  
 dere est coactus. Pontificia itaque copia, re adhuc infecta,  
 ex Flaminia in Hetruriam, inde Romam abidere. Sforcia  
 & ipse appetente hyeme, quum jam omnia recepisset præ-  
 ter Leniacum, quod aliquandiu ob validum, quo teneba-  
 tur, præsidium frustra oppugnavit (quanquam non tam ar-  
 mis, quam pluviis & procellis assiduis constet defensum)  
 in hyberna concessit: præter cohortem unam, quam penes  
 se Veronæ esse voluit, reliquas copias ab Abduæ ripa ad  
 Taurisinos usque municipatim vicatimque divisit: hisque in  
 provincia gestis, ad Principem & Senatum salutandum Ve-  
 netias cum paucis venit. Vix unquam alias Imperatorum  
 aliquis majore læticia a Patribus & universa civitate est ac-  
 ceptus: quippe quem non solum probabant, sed admirab-  
 bantur etiam, suspiciebantque ob clara ipsius gesta, quasi  
 augustum aliquid & supra humanum in eo intuerentur.  
 Itum igitur est illi obviam ab omnibus frequenter ordinib-  
 us, ac demum in curiam adductus, magnificenterisque  
 verbis laudatus. Est non parum quoque laudatus Franciscus  
 Barbarus, qui voluntate Patrum cum Petro Advocaro &  
 centum Brixiensibus nobilissimis viris Venetias non multo  
 post Sforciam venerat. Vertit is quoque ob Brixiam serva-  
 tam, non minus quam ille, oculos omnium in se, sum-  
 maque defixit admiratione, amplissimisque ad hæc honori-  
 bus ornatus. Brixenses & ipsi cum multis lachrymis præ-  
 nimis læticia ac charitate ad Principis complexus & oscula  
 admissi: laudataque eorum fide, quam omnibus monumen-  
 tis posteritati consecrandam cuncti aperta prædicatione cen-  
 sebant, perpetua donati sunt immunitate. Et ut plebs sua  
 quoque sentiret præmia, molarum vestigal, quod viginti  
 millibus locari consueverat, in perpetuum est populo re-  
 mis-

Sforcia hy-  
 bernorum  
 tempore ap-  
 petente Ve-  
 netias ve-  
 nit.